

## DISPUTATIO X.

## DE INEFFICACIA VETERUM SACRAMENTORUM AD GRATIAM CONFERENDAM.

Sub hoc titulo, ut paulo antea dixi, comprehendo omnia sacramenta, quæ ante Christi adventum fuere. Quoniam vero in eis specialis ratio ac difficultas est de sacramento circumcisionis, ac de illo, quod in remedium peccati originalis fuit in lege naturæ, ideo prius de his specialiter dicemus, postea generatim de reliquis omnibus sacramentis illius temporis.

## SECTIO I.

Utrum in circumcisione, vel sacramento legis naturæ data sit gratia sanctificans præter meritum operantis.

1. Ratio difficultatis est, quia D. Thomas absolute negat, per sacramenta vetera datam esse gratiam justificantem; et eodem modo loquuntur antiqui Patres, quos infra referemus sect. ult. hujus disp.; sed eadem est ratio de sacramento legis naturæ vel circumcisione, quæ legem antecessit, quia etiam hæc respiciebant Christum venturum, cujus sola fides viva prodesse tunc poterat; ergo.

2. In contrarium vero est, quia in his sacramentis remittebatur originale peccatum; sed non remittitur sine gratia; ergo necesse est, ut in eis data fuerit gratia.

3. *Prima sententia.* — In hac questione varii possunt esse opinandi modi. Primus est, in circumcisione remissum fuisse originale peccatum, non vero fuisse datam gratiam. Hæc fuit opinio Magist., in 4, d. 4, circa fin., et Gloss. in cap. Quod autem, de Consecr., d. 4, ubi significat, in circumcisione solam pœnam fuisse remissam. Sed hæc sententia repugnat manifeste principiis fidei; et ideo merito ab omnibus Scholasticis rejecta est. Nam manente culpa mortali vel originali, non potest æterna pœna remitti, quia inimicus Dei non potest non carere visione ejus; rursus originalis culpa non remittitur sine infusione gratiæ, quia non remittitur, nisi per veram justificationem, ut tradit Concil. Trident., sess. 6, et in materia de justificatione latius tradetur. Peccatum enim originale, sicut et mortale includit privationem gratiæ, et ideo non remittitur sine infusione ejus. Item, quia de facto in homine non datur medium inter

statum amicitiae et inimicitiae divinæ; sed is, cui remittitur originale peccatum, non manet inimicus; ergo fit amicus Dei; ergo infunditur ei gratia et charitas, in quibus amicitia Dei consistit.

4. *Secunda sententia.* — Atque ex eisdem principiis et rationibus, rejecta est ab omnibus Theologis secunda sententia aliorum dicentium, datam fuisse in circumcisione gratiam, quoad effectus privativos, non quoad positivos. Quæ opinio per effectus privativos intellexisse videtur carentiam culpæ aut reatus pœnæ; per positivos vero, aut amicitiam divinam, aut acceptationem ad gloriam, vel internam animæ renovationem et sanctificationem. Unde intelligitur, hanc sententiam fere nihil a præcedenti differre, nec minus cum veris principiis fidei repugnare. Primo quidem, quia gratia, per quam peccatum remittitur, non est tantum extrinsecus actus divinæ voluntatis remittentis peccatum, vel acceptantis hominem ad gloriam, in quo possunt illi effectus aliquo modo distingui; sed est intrinsecum donum animæ infusum, quo a statu peccati ad statum gratiæ et adoptionis filiorum Dei homo transfertur, ut dicitur in Concil. Trident., sess. 6, cap. 3, 4 et seq.; impossibile autem est hanc gratiam animæ infundi, et carere suo effectu positivo; ergo si peccatum originale remittebatur in circumcisione, in ea infundebatur hujusmodi gratia; ergo perficiebat positive animam efficiendo illam proportionatam ad gloriam et supernaturalia opera, et dando jus illi ad hæreditatem gloriæ, atque adeo constituendo hominem amicum et acceptum ad gloriam. Denique cum ratio culpæ in privatione consistat, illius exclusio non tam habet rationem effectus privativi, quam positivi, sicut expellere tenebras magis consistit in effectu positivo luminis, quam in privatione.

5. *Tertia sententia.* — Tertia sententia est, in circumcisione fuisse datam gratiam, quæ sufficeret ad remittendam culpam, non tamen, quantum ad vim et efficaciam reprimendi et superandi concupiscentiam et merendi vitam æternam. Quam sententiam tenuit D. Thomas, in 4, d. 4, quæst. 2, art. 5, quæstion. 3; significat Bonav. ibi, quæst. ult., dicens, illam gratiam non valuisse ad profectum. Hanc vero sententiam correxit D. Thomas hic, ad 3, et infra quæst. 70, art. 4, et merito, quia quælibet gratia quantumvis minima constituit hominem Deo gratum; hoc enim non habet ratione intensionis, sed ra-

tione suæ essentiæ; et ideo de se est sufficiens principium merendi gloriam. Rursus talis gratia semper habet adjunctam secum charitatem, quæ est divina amicitia, quæ Deum habet pro ultimo fine, eumque super omnia diligit, et ideo de se sufficiens est ad superandam concupiscentiam, quia amor Dei ex se est fortior et potentior omnibus, et ideo dicitur 1, Joan. 3: *Omnis, qui in eo manet, non peccat, et: Omnis, qui natus est ex Deo peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare, quia ex Deo natus est.* Hoc enim semen est gratia Dei, quam si homo servare velit, atque ejus inclinationem et efficaciam sequi, non peccabit; et ideo dicit Joan., in eadem Canonica, cap. 4: *Vos ex Deo estis, filioli, et vicistis eum, quoniam major est, qui in vobis est, quam qui in mundo.* Est ergo quæcumque gratia de se efficax ad vincenda peccata et superandas concupiscentias; præsertim, quia semper habet adjunctum auxilium Dei sufficiens ad suum finem consequendum. Præterea ad præsentem quæstionem nihil refert, quod illa gratia data in circumcisione fuerit magna, aut parva, sed simpliciter, an data fuerit gratia; quoniam si quæ sunt testimonia, quæ videntur significare, non fuisse datam gratiam per circumcisionem, non loquuntur de magna, aut de parva gratia, sed simpliciter de gratia. Item, quia sive magna, sive parva fuerit, non potuit dari, nisi per Christum venturum; ergo eadem difficultas erit in gratia minima, quo modo dari potuerit per circumcisionem, cum nondum essent exhibita merita Christi.

6. *Quarta sententia.* — *In circumcisione nihil fuisse datum ultra meritum operantis.* — Quarta ergo sententia esse potest, in circumcisione per se nullum spirituale fructum fuisse collatum homini, ultra illud, quod respondebat fidei et merito operantis; atque adeo in circumcisione secundum se nec gratiam fuisse collatam, nec originale peccatum fuisse remissum, sed fuisse solum signum fidei justificantis. In hanc sententiam videtur inclinare D. Thomæ hic, ad 3, ubi in hoc æquiparat circumcisionem aliis sacramentis legalibus, et simpliciter dicit, tantum fuisse signum fidei justificantis; et idem docet, quæst. 70, art. 4, quanquam postea dicat in circumcisione fuisse collatam gratiam, et ideo difficile est mentem D. Thomæ explicare, et eorum, qui illum sequuntur, ut videre licet in Capreol., Soto et aliis in 4, et in Bellarm., lib. 2, de Sacram., c. 13 et seq., ubi constanter

hanc sententiam defendit, ita ut sentire videatur, secluso merito recipientis, nullum spirituale fructum in circumcisione fuisse collatum. Quod confirmat variis Scripturæ testimoniis, ex quibus aliqua sunt generalia de omnibus veteribus sacramentis, quæ egena et infirma in Scriptura dicuntur, sub quibus circumcisio etiam comprehenditur, ut sect. seq. dicam. Alia sunt specialia de circumcisione, qualia sunt ea, in quibus significatur circumcisionem non fuisse institutam propter dandum spirituale fructum, ut est illud ad Rom. 3: *Quid ergo amplius Judæo est, aut quæ utilitas circumcisionis, etc.?* Sed hæc jam sunt a nobis tractata et explicata. Illa vero difficiliora videntur, in quibus Paul. ait: *Circumcisio nihil est, et præputium nihil est,* 1 ad Corint. 7, et illud ad Galat. 6: *Neque circumcisio aliquid valet, nec præputium, sed nova creatura.* Et ad Col. 2, et ad Philip. 3, significat Paulus nihil in circumcisione fuisse, nisi exteriorem illam carnis amputationem. Et ad hoc propositum afferri possunt omnes Patres Græci, quos supra retulimus agentes de fine circumcisionis.

7. *Hujus sententiæ censura.* — Hanc vero sententiam, sic absolute prolatam, ut a nobis exposita est, quidam, ut falsam, alii etiam ut temerariam rejiciunt, utpote omnibus Scholasticis contrariam. Sed ut mens dictorum auctorum et rei veritas intelligatur, advertendum est, variis modis posse intelligi hanc sententiam. Primo, ante Christi adventum nulli hominum fuisse gratiam collatam, aut remissum peccatum, nisi per propriam ipsius hominis fidem, ac dispositionem de se sufficientem ad obtinendam gratiam et expellendum peccatum. Quæ sententia de adultis quidem probabilis est, ut postea dicam; tamen si in universum tam de parvulis, quam de adultis intelligatur, erit valde temeraria, quia ex illa sequitur, tam in lege naturæ, quam Moysis omnes infantes fuisse relictos sine remedio originalis peccati, atque adeo omnes, qui mortui sunt ante usum rationis, damnatos fuisse. Quod impium est sentire, et contra communem Ecclesiæ traditionem et sensum, ut supra probatum est; tamen in hoc sensu a nullo prædictorum auctorum hæc sententia asseritur.

8. Secundo ergo intelligi potest, ante Christi adventum nullum fuisse institutum externum remedium, seu sensibile signum, in quo alicui daretur gratia vel remedium peccati, præter meritum vel sufficientem dispositionem ejus,



sed remedium originalis peccati fuisse eo tempore mere internum, positumque fuisse in sola interiore fide vel ipsiusmet hominis, cui remittebatur peccatum, si erat capax ejus, vel alterius, sub cujus erat cura et potestate, si erat parvulus. Et in hoc sensu sententia hæc, quoad tempus legis naturæ, est quidem minus probabilis, non tamen temeraria, neque omnino improbabilis, ut in superioribus diximus. Quoad circumcisionem vero videtur majori censura digna, propter auctoritatem Augustini, Gregorii et aliorum, quos supra retuli, et præsertim propter auctoritatem Innocent. IV, in cap. Majores, de Baptismo, dicentis, quod originalis culpa remittebatur per circumcisionis mysterium. Nihilominus, quamvis etiam in hoc sensu falsa sit hæc opinio, non tamen videtur nota temeritatis digna, tum quia plura Sanctorum testimonia illi favere videntur; tum etiam, quia licet hæc sententia affirmet externum signum legis naturæ, vel circumcisionis non fuisse necessarium ad applicandum parvulis remedium originalis peccati, non tamen negabit, quin si simul cum fide interna hoc signum exhiberetur, daretur statim gratia, et remissio originalis peccati, quanquam e converso solum externum signum sine fide non sufficeret ad dictum effectum, et aliunde sola fides interior posset juxta hanc opinionem sufficere sine exteriori signo. Unde, cum dicunt Sancti aliqui, per circumcisionem remissum fuisse originale peccatum, explicandi essent, juxta hanc sententiam, id intelligendum esse ratione fidei, vel etiam, nisi jam esset remissum per fidem, sicut de adultis postea dicemus. Sed prædicti auctores non in hoc sensu asserunt prædictam sententiam, saltem quoad circumcisionem.

9. *Quomodo sit probabilis ista sententia.* — Tertio ergo modo intelligi potest, in circumcisione (et idem est proportione servata de signo externo legis naturæ) in circumcisione (inquam) datam esse gratiam et peccatum originale remissum, atque ad hunc spirituales fructum consequendum necessarium fuisse externum signum, seu circumcisionem, non tamen sine fide interiori Ecclesiæ vel ministri, neque e contrario fidem internam suffecisse sine tali signo externo; effectum autem gratiæ fuisse tribuendum interiori fidei, ut propriæ causæ, externum autem signum tantum fuisse conditionem, sine qua non. Et hoc sensu est illa opinio non solum nulla censura digna, sed etiam probabilis, nam sine dubio proba-

bile est, hunc fuisse sensum D. Thomæ, quem ita explicat et sequitur Cano, relect. de Sacramento, part. 5, et Bellarmin., supra, cap. 15, in fine, et hujus sententiæ etiam videntur fuisse Bonaventura, Richard. et Durand., cum quibus disputabimus sectione sequenti.

10. Quinta sententia est, in circumcisione per se ac semper datam fuisse gratiam, per hoc solum, quod signum externum adhiberetur; ita tenet Alexand. Alens., 4 part., q. 5, memb. 3, et quæst. 7, memb. 5, art. 1 et 2; Scot., Gabr., Palud., sect. sequenti citandi.

11. *Parvulis ante usum rationis gratiam fuisse datam in circumcisione.* — In hac re mihi videtur distinguendum inter parvulos et adultos, et dicendum primo, applicata circumcisione, seu exteriori sacramento legis naturæ, parvulis ante usum rationis, datam eis fuisse gratiam et remissionem peccati originalis. Hujus conclusionis fundamentum sumendum est ex dictis supra de sacramento legis naturæ, et de institutione circumcisionis, ubi ostendimus, nunquam fuisse remissum originale peccatum sine exteriori signo protestativo fidei; ostendimus etiam, hoc signum, quod prius fuit indifferens, in lege Moysis determinatum fuisse pro masculis, quoad circumcisionem; si ergo hoc signum externum necessarium fuit ad remissionem originalis peccati, oportuit, ut illo adhibito tolleretur peccatum originale et daretur gratia.

12. *Ad pueri sanctificationem non fuisse necessariam fidem parentis.* — Dico secundo: probabilis est ipsum signum externum circumcisionis fuisse sufficiens, ut illo applicato daretur gratia parvulis, etiamsi sine fide parentis, aut ministri, sive hominis conferentis sacramentum applicaretur. Hanc conclusionem ponit expresse Alexand. Alens. supra, Palud., in 4, d. 1, quæst. 5, art. 5, et idem sentiunt Scot. et alii nuper citati, et probatur primo, ex August., lib. 4 contra Cresconium, cap. 34, ubi æquiparat circumcisionem in hoc cum baptismo, quod data a ministro infideli non magis erat postea iteranda, quam nunc sit iterandus baptismus datus ab hæretico; ergo sicut nunc talis baptismus est sufficiens remedium originalis peccati, ita et illa circumcisio.

13. Secundo, quia baptismus applicatus a ministro infideli est sufficiens remedium peccati, ut infra probabimus; ergo et circumcisio. Probatur consequentia primo, quia differentia, quæ in hoc ab aliis assignatur, nulla auctoritate vel probabili fundamento nititur,

et alias Patres simpliciter affirmant, circumcisionem fuisse institutam in remedium peccati originalis, cui postea baptismus successit; ergo quod sufficiebat ad veram circumcisionem, id est, ut esset verum sacramentum, sufficiebat etiam, ut esset remedium peccati, sicut de baptismo constat. Secundo, quia sicut parvuli ante Christi adventum dicuntur justificati in fide parentum, ita etiam nunc in lege gratiæ, ut loquitur Justinus Mart., quæst. 56 ad Orth., et Augustinus, lib. 1 de Pecc. mer., cap. 2, et lib. de Ver. et fals. poen., cap. 2, et epist. 23 et 107; ergo sicut hoc posterius est intelligendum de fide (ut ita dicam) objectiva cum exteriori ejus professione, non de propria et interna fide ipsius ministri seu parentis, ita etiam erit illud intelligendum. Tertio, quia omnes rationes, quibus infra, quæst. 64, probabimus malitiam vel hæresim ministri non impedire veritatem sacramenti, nec effectum ejus, fere eodem modo possunt circumcisioni applicari. Præsertim, quia alias remedium originalis peccati esset valde incertum et sæpe esset iterandum. Tandem argumentor, quia vel fides ministri esset necessaria, ut daretur gratia parvulo propter meritum de condigno vel de congruo ipsius ministri: et hoc non, tum quia nullus hominum præter Christum meretur alteri primam gratiam habituales immediate, et sine ulla dispositione recipientis, ut etiam in superioribus dictum est; tum etiam quia alias non quæcumque fides, sed viva et charitate formata, esset necessaria ad hujusmodi effectum, quod est satis absurdum. Vel illa fides postularetur a Deo, ut conditio necessaria simul cum opere externo, et hoc, licet a Deo fieri potuerit, gratis tamen et sine fundamento dicitur factum, quia non constat promissionem esse factam fidei, sed signo externo, juxta illud: *Anima cujus præputii caro circumcisa non fuerit*, etc. Ex quibus verbis sumi etiam potest aliud argumentum; nam ad veritatem illius sacramenti, et ut esset impletum præceptum illis verbis contentum, non erat necessaria fides ministri; ergo neque erat necessaria, ut in illo sacramento daretur gratia, non existente obice in recipiente. Tandem, quia cum hæc gratia non daretur propter meritum hominis applicantis sacramentum, non expediebat, ut ab ejus fide penderet.

14. *Objectio.* — *Responsio.* — Sed contra, nam multæ Gentes utebantur circumcisione, quæ erant impiæ et infideles, ut late refert Epiph., Hær. 30, Ambr., ep. 77, Orig., lib. 2

in ad Rom., circ. fin., c. 3, et lib. 5 contra Cels., post medium, quæ tamen Gentes non consequebantur gratiam, solum quia sine fide utebantur nuda exteriori cæremonia; ergo. Præterea, de sacramento legis naturæ est speciale argumentum, quia cum non haberet specialem cæremoniam institutione Dei definitam, ut signum exterius applicatum haberet rationem sacræ cæremonia, oportebat per fidem conferentis determinari ad significandum veri Dei cultum, et parvuli sanctificationem et oblationem vero Deo factam; ergo hac ratione erat tunc necessaria fides veri ministri. Respondetur ad priorem partem, sicut in nostris sacramentis, ita et in circumcisione distingui posse fidem ministri ab intentione faciendi sacramentum a Deo institutum, nam licet fides non esset necessaria, intentio tamen necessaria fuisse videtur ad veritatem sacramenti, quia quoad hoc eadem est ratio de illo, et de nostris sacramentis, ut postea videbimus. Unde colligitur, fuisse etiam intentionem illam necessariam, ut detur gratia sub illa cæremonia externa, quia non dabatur in illa, nisi ut habebat rationem sacramenti, et religiosæ cæremonia pertinentis ad Dei cultum. Quocirca de illis Gentibus, quæ extra Dei populum utebantur circumcisione, dicendum est, quod si id faciebant sub prædicta intentione, etiamsi alias essent infideles, poterant infantes illarum nationum in illa circumcisione justificari, et remedium originalis peccati consequi; sicut nunc omnes Gentes, quæ utuntur baptismo, debito ritu, et sub intentione faciendi quod Christus instituit, justificant parvulos suos, etsi aliqui versentur in infidelitate aliqua, aut hæresi, vel schismate; poterant autem illæ Gentes habere hanc intentionem, saltem sub ratione valde confusa et generali, nimirum intendendo facere quod Deus instituit, aut imitari Abraham seu populum Judæorum, aut intendendo sanctificare parvulos suos, aut dicare et consecrare illos Deo, vel aliquid simile, et probabile est fere semper habuisse aliquam intentionem hujusmodi, quia sine illa non erat illa cæremonia per se expetibilis, aut ad aliquid aliud utilis.

15. *An esset iteranda circumcisio, si sine debita intentione fieret.* — Sed quæret aliquis obiter, si verum est, hanc intentionem fuisse necessariam, quid esset Judæo faciendum, si contingeret puerum circumcidi sine intentione debita; nam illa cæremonia exterior circumcisionis non poterat iterari, sicut nunc



potest repeti exterior cæremonia baptismi, quando sine debita intentione facta est; quod ergo remedium esset nunc applicandum illi parvulo? Aliquis fortasse diceret, iterandam fuisse exteriorem cæremoniam circumcisionis, aliquid amplius illius pelliculæ abscindendo; verisimile enim est, nunquam fieri tam exactam ac præcisam circumcisionem, quin possit magis perfici. Vel etiam dici potest, in eo casu educendum esse præputium, ut iterum fieret circumcisio. Quod enim post semel factam circumcisionem, iterum posset arte fieri, aut superinduci præputium, multi colligunt ex illis verbis Pauli, 1 ad Cor. 7: *Circumcisus aliquis vocatus est, non adducat præputium*, ut ibi notat Gagneus ex Epiphonio, Theophylacto et Photio, Græcis. Sed quidquid sit de sensu hujus loci, tamen quod ad præsens attinet, improbabilis est ista responsio. Quis enim obligaret Judæum ad utendum hujusmodi arte? nullo enim fundamento id affirmari potest, neque ex lege Dei colligitur. Nec etiam prior responsio mihi probatur, quia est voluntaria et sine fundamento.

16. *Respondetur quæstioni.* — Dico igitur, in eo casu non esse iterandam circumcisionem. Quia illa (ut ita dicam) non consistebat tantum in fieri, sed etiam in facto esse. Et ideo licet contingeret non fieri debito modo, ex intentione applicantis illam, tamen si in re ipsa sufficienter fiebat, revera manebat facta, quoad externum effectum, seu characterem sensibilem; et ita illa lex quoad substantiam ejus manebat in eo homine impleta; et imo non erat, quod repeteretur, maxime cum moraliter esset impossibile; tunc ergo, si in priori circumcisione non erat applicatum sufficiens remedium peccati ex defectu intentionis, suppleri poterat, atque supplendum erat quolibet alio signo externo, protestativo fidei, seu sacramento legis naturæ, sicut in superioribus diximus faciendum esse in aliis eventibus, quando non poterat applicari circumcisio.

17. Ad aliam partem difficultatis propositæ respondetur, primo, quamvis in lege naturæ non esset determinatum certum signum in remedium parvulorum ex jure divino, tamen in unoquoque populo potuisse publica auctoritate determinari, qua determinatione facta, poterat etiam applicari tale signum ab aliquo non habente veram fidem, vel cognitionem Dei, ex intentione faciendi quod ille populus fidelis faciebat, seu intentione offerendi parvulum illum illi Deo, quem talis populus co-

lebat, vel quem parentes ejus coluerunt. Quinimo, quamvis signum non esset ab aliqua republica definitum, sed determinandum esset voluntate et arbitrio ipsius ministri, adhuc posset ab eo determinari, et sufficienti intentione, et sine vera fide, ut si haberet prædictam intentionem offerendi parvulum illum vero Deo creatori omnium, seu Deo, quem coluerunt patres ejus, de quo posset is, qui sic applicaret sacramentum, non habere veram fidem, sed aut nullam, aut certe solum humanam, et multis erroribus admistam. Itaque nec in lege naturæ videtur simpliciter fuisse necessaria fides ministri ad veritatem sacramenti. Quamvis moraliter loquendo, vix posset sine illa fieri sacramentum, non quia in illa niteretur veritas sacramenti, sed quia sine illa vix poterat tunc haberi sufficiens intentio faciendi sacramentum; supposita autem veritate sacramenti, ut in eo daretur gratia, non magis erat necessaria fides ministri, quam in circumcisione, quia quoad hoc est eadem ratio, ut ex dictis patet.

18. *In circumcisione non dabatur gratia adultis sine fide, etc.* — *Objectio Scoti.* — *In circumcisione non dabatur adulto prima gratia major, quam ipsi contritioni responderet.* — Dico tertio: in circumcisione non dabatur gratia adultis, nisi habentibus fidem et dilectionem Dei, seu contritionem peccatorum, et idem sentiendum est a fortiori de sacramento legis naturæ. Hanc assertionem docuit Cano in relect. de Sacram., p. 5; Soto vero in 4, d. 2, q. 1, art. 4, ad 5, eam admittit in sacramento legis naturæ, non autem in circumcisione. Probat ergo primo de sacramento legis naturæ, quia illud tempus per se non erat accommodatum, ut in eo daretur gratia ex opere operato ultra meritum et dispositionem operantis, quia merita Christi nondum erant exhibita; ergo non est asserendum, aliquam gratiam fuisse hoc modo tunc datam, nisi quam necessitas humani generis lapsi omnino requirit, et sine qua videretur divina providentia homini in necessariis defuisse; præsertim cum nulla certa auctoritate constet, gratiam fuisse sic datam illo tempore, sed solum ex ratione divinæ providentiæ colligenda sit; at vero hæc ratio et necessitas solum habet locum in parvulis; nam adulti, cum possint se sufficienter ad primam gratiam disponere, non erant in eo articulo necessitatis constituti; ergo non est, cur asseramus illis fuisse remissum peccatum, aut datam gratiam in sacramento legis na-

turæ, sine dispositione per se sufficienti. Et confirmatur primo, nam reddere hominem ex attrito contritum per infusionem gratiæ et charitatis habitualis absque connaturali dispositione, est unus ex potissimis effectibus sacramentorum novæ legis, adeo excellens et supra naturas rerum, ut multis visum sit, etiam in lege gratiæ, nunquam remitti hoc modo peccatum; ergo non est verisimile, hoc beneficium fuisse concessum hominibus in lege naturæ. Et confirmatur secundo, quia, si ad remissionem peccati originalis, habebant adulti hujusmodi remedia, quibus possint fieri ex attritis contriti, cur non dicemus habuisse simile remedium, ad remissionem peccati mortalis commissi post primam gratiam semel consequutam? cum non sit minus necessaria ad salutem remissio hujus peccati, quam illius, nec sit minus difficilis dispositio ad remissionem hujus, quam illius. Atque hæc rationes æque in circumcisione procedunt, præsertim cum supra ostensum sit, circumcisioni non esse additam virtutem aliquam spirituales, nec specialem promissionem gratiæ, sed solum subisse locum sacramenti legis naturæ et remedii originalis peccati, quatenus illud, quod indifferens erat in lege naturæ, determinatum fuit ad talem cæremoniam in illo populo. Quod saltem probant testimonia Pauli in secunda sententia adducta, ut latius infra videbimus, sect. 3. Et confirmatur, quia licet Abraham fuerit circumcisus, non fuit in illa circumcisione justificatus ultra meritum suæ fidei et obedientiæ, ut aperte docent omnes Patres superius citati, disp. 5, sect. 1, et non obscure colligitur ex Paulo, ad Rom. 4, ubi hoc sensu dicit, Abraham non fuisse justificatum in circumcisione, sed ex fide; accepisse autem circumcisionem, in signum et signaculum justitiæ fidei. Ergo neque aliis adultis dabatur gratia in circumcisione ultra meritum et dispositionem eorum. Respondet Scotus, in 4, d. 1, quæst. 6, circumcisionem potuisse augere gratiam adutorum ex opere operato, usque ad certum gradum, non tamen ultra illum, et quia in Abraham invenit excellentem gratiam, quæ illum gradum vel attingeret, vel superaret, ideo nihil illi contulisse præter meritum operantis. Sed hæc responsio et voluntaria est, et parum rationi consentanea; quia sacramenta, quæ possunt conferre aliquem gradum gratiæ, non impediuntur in suo effectu propter insignem sanctitatem recipientis; nam cum illa sit melior dispositio ad sacramentum, non debet impe-

dire effectum sacramenti. Item, quia gratia viatoris de se semper augeri potest, et ex parte sacramenti non potest deesse virtus ad augendam illam, si ad hoc institutum sit, quia operatur ut instrumentum Dei, vel saltem Deus operatur ad præsentiam ejus; virtus autem divina potest adungere gradum gratiæ etiam secundum legem ordinariam cuicumque gratiæ viatoris, quantumvis intensæ; et ideo gratia Virginis aucta fuit per baptismum, quamvis magis excelleret communem gratiam baptismalem, quam gratia Abraham gratiam circumcisionis superaret; si ergo Abraham in circumcisione non fuit datum augmentum gratiæ ultra ejus meritum, certum videtur, neque aliis adultis fuisse hoc modo datum augmentum gratiæ, quando contingebat eos circumcidi jam justificatos per vivam fidem, quamvis non sit dubium, quin mererentur augmentum gratiæ per circumcisionem, ut erat opus hominis justii ex virtute et obedientia procedens; ergo æque etiam certum est, non dedisse primam gratiam adultis, nisi per contritionem dispositis, nec ratione circumcisionis fuisse datam majorem primam gratiam, quam ipsi contritioni responderet. Patet consequentia, quia eadem vel major ratio est de augmento, quam de prima gratia; nam magis debitum est justo augmentum gratiæ, quam peccatori disposito prima gratia. Unde etiam in lege gratiæ nullum est sacramentum potens conferre primam gratiam, et efficere hominem de attrito contritum, quod non melius possit augere gratiam, si subjectum jam justificatum invenit.

19. *Objectio.* — Contra hanc vero conclusionem objici potest primo, quod graviores Theologi docent, per circumcisionem remissa esse adultis, non tantum peccatum originale, sed etiam actualia: ita docent D. Thom., infra, q. 70, art. 4, ad 5, et in 4, d. 1, q. 2, art. 4, quæstiunc. 2, ad 4; et ibi Richar., art. 6, q. 3; Durand., q. 7, ad 2; Palud., q. 5, art. 4, conclus. 2; non poterant autem in circumcisione remitti peccata, nisi in ea daretur prima gratia, per quam remittuntur peccata; ergo oportebat, ut in circumcisione homo fieret ex attrito contritus, nam si semper supponenda esset contritio, semper essent ante circumcisionem remissa peccata; nunquam ergo in ipsa circumcisione remitterentur adultis. Et confirmatur, nam alias sequitur, respectu adutorum non fuisse circumcisionem vel sacramentum legis naturæ instituta in remedium originalis peccati, quia